

reputantur. Has alere Parochi solent, & teneros vili pretio emunt, maiori vendendos. Secundum mulorum, & mularum cum stramentis, & ornatu per numeros ductorum Piaras appellant. Hæc tenere, & locare non licet, videlicet custodienda, & ducenda per Indos; si autem per alios famulos, probabile est id licere, etiam si ad locandum fuerint empti. Quod licet neget P. Molina Disput. 342. in fine, redarguit tamen eum Cardinalis Lugo num. 34. quia ipse P. Molina fatetur posse Clericum propria prædia, vel iumenta locare: postquam autem illa emit, iam sunt propria illius, sicut si domi nata fuissent. Quod vero eo animo emerit, non videtur satis; quia licet prædia emerit animo locandi, id non esset illicitè negotiarum; ergo & idem in iumentis erit, nisi frequentia emptionis speciem negotiationis habuerit. Sic ille arguit.

Locatio ut licent.

De Indis pro Mineris non occupandis.

Neque negotiandum cum ipsis.

Sicut neque per ipsos.

Quæstoria artes qualiter à Concilio prohibita.

153 Quod ad mineralia attinet, satis perspicuum est: ipse autem modus loquendi indicat de Indis propria Parochia esse sermonem, dum dicitur nec mitti, nec locari posse: illi ergo non possunt mitti, qui nec locari: est autem manifestum alienæ Parochia Indos non posse locari à Parocho, & ita nec mitti, quod satis ostendit de Indis propria Parochia esse sermonem, missio enim ad subiectos spectat. Si ergo Parochus minerale habeat, non prohibetur Indorum aliorum vti ministerio, qui voluntariè voluerint laborare: nequeunt autem habere nisi in illis hæreditario iure succedant, de quo D. Solorzano Tom. 2. Lib. 1. Cap. 16. num. 61. & in Politicâ Pag. 170. Col. 1. fin. cum Indis denique negotiari Parochi prohibentur, quod accidit dum illis vinum, & familiare ipsis poculum, Chicha, vestes, & alia venduntur: aut quas Indi ipsi ex propriis laboribus merces acquisitas vendere Parochis compelluntur, in quibus non solum multa indigna, & fordida, sed etiam iniusta frequenter reperiuntur. Quod si Parochus matrem secum aut tororem habeat, & earum nomine aliquid prædictorum agatur; non ideo videntur excusandi, cum constet lucrum eorum ad ipsos pertinere. Pro quo videre potest P. Rebellus Parte 2. Lib. 9. Quæst. 78. num. 8. Quod si panis vendatur publicè, ubi emi ab aliis etiam potest, cuius venditionis lucrum satis moderatum esse solet, & ita etiam valde credibile ad matrem, aut sororem pertinere, non debent conciliaris decreti transgressores reputari, & idem est de quibusdam aliis. Negotiari autem per Indos cum aliis tunc accidit, cum ab ipsis onerata animalia ducuntur, & rerum variarum commercium agitur. Dum autem, neque cum aliis per ipsos dicitur, aliorum nomine non Hispani solum veniunt, sed quicumque alij, etiam Indi; quod contingere potest, si Parochus Indos Parochia suæ ad alios Indorum populos mittat, apud quos mercimonium possit exerceri. Eadem enim ratio est tum avaritiæ remouendæ in Parochis, tum damni temporalis, & spiritualis Indorum; qui alienis commodis addicti propria non curant, neque instrui plenè de diuinis possunt pro salute eorum opportunitis.

154 Post excommunicationis sententiam pronuntiatam sic additur: Sciant etiam Parochi Indorum mineralium officinas siue ingenia, pannorum quoque Lanificinas, cæterasque quasiuarias artes sibi esse

penitus interdictas. Neque enim qui Euangelizandi ministerium susceperunt, Deo simul & Mammonæ seruire possunt. Hæc Concilium: quæ cum post excommunicationis sententiam posita sint, non videntur per ipsam comprehensa. Et quidem quasiuarias artes non sunt alias Clericis, etiam Parochis interdictæ, quia ubi artificium interuenit, negotiatio non est, vt sæpius dictum, & præsertim num. 33. & mineralium officinæ, siue ingenia, licet alias per Regia edicta Ecclesiasticis non permittantur; id tamen ob alias satis congruentes rationes est, & non quia negotiatio in illis possit deprehendi, à quâ illi iubentur abstinere. De officinis autem pro lanificio communis quidem sententia est Ecclesiasticis non licere, quando lanæ ad opificium emuntur, vt videri potest apud P. Molinam Disput. 342. vers. Secundum est. Cardin. Lugo suprà numer. 43. P. Filiucium Tractat. 35. num. 22. & alios. Si autem lanæ ex propriis gregibus sint, non est ita exploratum, vt videri potest, apud Cardinalem Lugo. Numquam autem prædictis officinis lanæ non empta sufficiunt, iuxta quod potuit Concilium generaliter loqui communem sententiam amplectendo.

In mineralibus non esse negotiationem.

Secus in lanificio si lanæ emantur.

S. V.

Circa Dispensationem notanda doctrina.

155 Videndum iam restat id, quod in hunc locum remisimus; an liceat Episcopis circa prohibitiones præfatas dispensare: & generaliter loquendo videtur licere, sicut dictum num. 146. si videlicet causa ista sit. In facti autem contingentiâ raro talis causa occurret, & ita raro etiam poterit dispensatio iusta reperiri. Aut enim necessitas est, & tunc non est opus dispensatione. Aut utilitas, & tunc per alios potest negotiari, quod licere iam vidimus, & præter Auctores citatos id tenet Bassæus v. Clericus, num. 14. In Parochis autem Indorum neque necessitas vrget, quia sufficientem habet sustentationem, quod & negotiatio ipsa arguit, quæ non est nisi ex superabundantibus instruenda. Utilitas autem nulla potest esse talis, quæ præponderare queat utilitati Indorum, à Parochis ante omnes alias exquirenda, & negotiationibus istis constat impediri. Quod quidem Concilium eleganter expressit citato Capite 5. sic dicens: Cum Neophyti isti ea de causa, tum scandalum graue sustineant, tum instructionis suæ iacturam non mediocrem faciant, dum ab his in temporalibus ipsorum quæstibus occupantur, à quibus debebant spiritualibus incrementis augeri. Sic ibi. Quæ quidem rationes, & scandali scilicet, & instructionis iacturæ, cum adeo vrgentes sint, quis non videat rarissimè euenturum vt cessent, & sic possit negotiatio sustineri? Tum etiam quia cum dispensatio Parocho alicui ab Episcopo confertur, impossibile est eum omnes circumstantias præuidere in negotiatione futuras, vnde non est satis generaliter causam aliquam dispensandi subesse pro aliquo actu, & generaliter illam procedere, quia impossibile moraliter est in omnibus actibus inconuenientia cessare. Id autem Parochorum conscientia relinquere, nimis periculosum est. Deseruire tamen illud ad euitandam excom-

Episcopos dispensare in prædictis posse, sed raro causam iustam reperiri.

Concilium idem pro damnis Indorum.

Dispensationem iustam esse validam, si non sit lege Superiore.

Quod casus presentis non quærat, ob Concilij Pontificiam confirmationem.

Sed illam non videri omnimodam, vnde ex eo non plene concludi.

Cardinalis Carafa verba.

Confirmatio simplex quid conferat.

Vide infra n. 170.

Quid actus circa.

excommunicationem, erit fortè qui censetur, iuxta probabilem sententiam, asserentem dispensationem iniuste datam esse validam, quando non est in lege superioris. Pro quo quam plures adducit P. Thomas Sancius Lib. 8. de Matrimonio Disputat. 17. num. 27. Diana Parte 1. Tract. 10. Resolut. 32. & Recentiores alij communiter. Concilium autem Prouinciale in ordine ad leges condendas, & consequenter in ordine ad dispensationes, non esse superius singulis Episcopis tener P. Arriaga Tract. de legibus, Disputat. 18. num. 57. & Disputat. 29. Sect. 2. Verum hoc non videtur accommodari præsentis casui posse, quando quidem Concilium approbatum est à Sixto Quinto. Quando autem approbatio, quæ & idem cum confirmatione videtur, accedit, Concilium Prouinciale iuxta auctoritatem confirmationis regulandum est, vt non liceat in eo, sicut neque in iure communi, inferioribus dispensare, nisi iustâ interueniente causâ, ex cuius causæ defectu redditur inualida dispensatio, vt citati tradunt, & videri potest præsertim P. Sancius Disput. 27. citata num. 30. vbi alios adducit.

156 Sed certè, licet prædictum Concilium approbatum sit; non tamen videtur confirmatum eo confirmationis genere, quo Prouincialia Concilia ad idem auctoritatis culmen, quo Generalia, solent eleuari; iuxta quod non dubitat Cardinalis Bellarminus Lib. 2. de Concilijs Cap. 5. asserere ea errare non posse, & oppositum proferre temerarium esse, erroneum, & hæresi proximum. Neque etiam alio confirmationis genere approbatum apparet quod inferius sit; tali tamen vt eius decreta nequeant in Concilijs alijs Prouincialibus abrogari: nullum enim verbum in approbatione extat, ex quo similis auctoritas possit coniectari. Neque enim Bulla approbationis est pro hoc expedita, sed Cardinalis Carafa nomine Congregationis Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando præpositorum Archiepiscopo Limano rescribit; Concilium dictum à præfatis Cardinalibus, ex suo munere, & suæ Sanctitatis iussu diligenter perlectum, sic subdens: nunc Synodum prædictam ad Amplitudinem tuam remittunt; ubi visum fuit emendatam atque aptatam, vt eo modo, qui illam acceperit, edendam, & pro ipsorum populorum salute, atque Ecclesiasticæ doctrinæ conseruatione, omnino curet obseruandam. Sic ille: vbi quidem nullum Pontificium præceptum elucet, & Cardinalis solius Congregationis nomine loquitur; nullum ex se etiam præceptum adiciens, sed admonitionem pro eo, quod etiam eâ non extante ab Archiepiscopo erat diligenter accurandum, Synodum, inquam, sic emendam, & aptatam edendam, & pro illius obseruatione specialem sollicitudinem adhibendam. Vbi si ex eo quod Pontifex Cardinalibus Congregationis negotium remisit, quod ab eis actum est videatur approbare, immò & confirmari; tunc certè confirmatio simplex est, per quam non velle Pontificem rei naturam variare, quamplurimum Doctorum sententia est, quos adducit Barbosa in collectaneis Lib. 2. Titulo 30. Cap. Porrecta 6. licet hoc ex illo capite non deducatur.

157 Et per hoc responderi potest ad id, quod in adnotationibus ante ipsum Concilium

propositis habetur specialiter circa casum præfatum. Cum enim Procuratores Cleri Prouincialis validè coram Pontifice instassent vt excommunicatio dicta tolleretur, Concilium Regium Indiarum contra stetit, & Rex Philippus Secundus iudicio se Concilij plenè conformans, ad Pontificem scripsit, supplicans vt non permitteret tolli, sed suâ illam auctoritate confirmaret. Cui piissimæ, & conuenientissimæ postulationi annuissè Pontificem non videtur posse dubitari. Confirmauit ergo, sed modo dicto, quia nihil amplius necessarium videbatur. Clerus volebat tolli, & pro eo ad Sedem Apostolicam appellauit cum à Concilio; conuenientiâ prospectâ, conseruandam fuisse iudicatum. Post exactam notitiam, & auditis partibus, ait Pontifex: non tollatur. Manet ergo firma, sicut sententia quælibet Apostolicæ auctoritate roborata. Dum enim Concilium aliud Prouinciale non habetur, clarum est vim habiturum decretum tale, sicut & alia. Quod si processu temporis Concilium aliud contrariū iudicauerit, quia diuersus erit rerum status, integrum erit Patribus excommunicationem tollere, quia res per eandem causam dissoluitur, per quas nata est, vt est regula iuris notissima. Cap. 8. quæ sine præiudicio melius sententium dicta velim, neque vti certa; sed per coniecturam non penitus inuerosimilem. Sed iam tollendæ excommunicationis cura à Paulo V. sublata in Bulla, quæ incipit, cum sicut accepimus. Die 7. Maij. anni 1607. & assertur integra à P. Quintana Tom. 2. Tract. 6. Singul. 5. in ea enim, alijs relictis pœnis in suo robore, excommunicationem tollit à Concilio Limer si præsertim impositum; sicut aliàs contra Clericos negotiatores.

fasam excommunicationem coram Pontifice.

Poste ab alio Concilio tolli.

Etiam sublata à Paulo V.

DIGRESSIO.

Circa potestatem dispensandi in Decretis Concilij Prouincialis.

158 Sententiam circa hoc P. Arriaga n. 115. præmissimus, circa quam tamen operæ pretium fuerit non nihil immorari. Afirmat ille, Concilium non esse quolibet Episcopo superius, sed dum aliquid statuit, quod scilicet vim sit legis, aut statuti habiturum, vnumquemque id circa suâ diocesim discernere, quod in diocesana Synodo poterat, & sic plures esse leges, aut statuta iuxta diocesim numerum, maiori tamen de liberatione ex Patrum auctoritate, in quibus sapientia, probitas, & experientia solent eminere. Vnde non solum quilibet Episcopus dispensare in statutis, & legibus Concilij poterit, sed ea etiam abrogare, sicut potest illa, quæ in diocesana Synodo ab ipso fuerint definita. Hoc probat Primo: quia nullus textus Canonici iuris, ex iis, qui à Doctoribus adducuntur, id probat; immò aliqui contrarium videntur indicare. Sicut dist. 18. in cuius initio dicitur: Episcoporum igitur Concilia (vt ex præmissis apparet) sunt inualida ad definiendum, & ad constituendum, non autem ad corrigendum: sum enim necessaria Episcoporum Concilia ad correctionem; habent tamen auctoritatem imponendi, & indicendi, quod aliàs statutum est, & quod generaliter seu specialiter obseruari præceptum est. Sic ibi.

Concilium Prouinciale non esse quolibet Episcopo superius conueniens P. Arriaga, cuius fundamenta proponuntur.

Dist. 8. ex Cabilon. Concilio.



ex Cabilonenſi Concilio Cap. 6. Alia autem eiusdem diſtinctionis Capitula nihil ſpeciale ſtatuunt in ordine ad leges ſtatuendas. Quod ſi Cap. vltimum quidquam de legibus innuit, ad dioceſanam eſt Synodum referendum. Caput verò Concilia diſt. 17. potius videtur ea inualidare Conciliaſc enim ibi dicitur: Concilia Sacerdotum Eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per Prouincias, quia preſentiam Papa non habent, validitatem perdidit. Sic ibi ex Symmacho Papa.

Cap. Concilia 7. diſtincta.

Cap. Nul lus Pri mas 9. quaſt. 3.

159. Arguit ſecundo: ex Cap. Nullus Pri mas 9. queſt. 3. vbi ſic dicitur: Si ſine Concilio, & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum extra ſuam Parochiam aliquid tenuerit, gradus ſui periculo ſubiacebit, & quod egerit irritum erit. Quæ decifio etſi non loquatur expreſſe in caſu Concilij, id tamen videtur ſupponere, quandoquidem requirit omnium Concilium, & voluntatem, quod commodè fieri non poteſt niſi in Concilio. Tunc ſic: omnium conſenſus requiritur: ergo non eſt maior vis in Concilio, quàm in quolibet Episcopo. Euidens eſt conſequentia: quia ſi maior vis eſſet, per illam poſſet quilibet in particulari cogi ad acceptandas eas leges, quæ à maiori parte ferrentur.

Ex ratione arguitur.

160. Praterèa, argui tertio poteſt ex eodem Nam maior hæc vis non competit Concilio ex natura rei, ſuppoſito ordine gratiæ, & inſtitutione Eccleſiæ à Chriſto; quia ſtat congregari Episcopos, & nullam in ea Congregatione maiorem vim eſſe, neque ad concedendam teneri Pontificem: vt ſi multi ſeculares iudices diuerſarum Prouinciarum conuenirent ad agendum de bono communi, non idè ex naturâ rei, aut ex conſeſſione Principis, cenſerentur habere nouam iuriſdictionem, etiamſi Princeps ipſe hortatus ſit eos ad talem conuentum propter bonum publicum: neque etiam talis maior vis habetur ex conſeſſione Pontificis; quia de illa non conſtat, neque neceſſario eſt ad finem, propter quem Concilia talia iubentur congregari: ergo nullo modo eſt talis maior virtus in illis, niſi in ordine ad correctionem, & punitionem criminum non grauiorum in Episcopis, vt diſponitur in Concilio Tridentino ſeſſione 24. Cap. 5. de Reformatione.

Aſſertio 1. Contrariū vt certum ſtatuenſ.

161. Dico primò: In Concilio Prouinciali maior eſt vis, & auctoritas in ordine ad leges, & ſtatuta, quàm in ſingulis Episcopis: & ita Concilium ſuperius eſt ſingulis Episcopis. Hoc eſſe certum aſſerit P. Suarez Lib. 6. de legibus Cap. 15. num. 4. & merito; quia Doctores omnes ita aſſerunt, aut ſupponunt. Firmiter praxiſ, & Canonica videntur decreta comprobare. Et quidem Concilium Prouinciale poſſe ſtatuta condere, indubitatum eſt, vt ex pluribus Capitibus diſtinct. 8. conſtat. Item ex Cap. Graue nimis, de Præbendis Cap. Sicut olim de accuſationibus. Ex Concilio Tridentino ſupra Cap. 2. Tunc vltra. Statuta huiusmodi tenentur obſeruare Episcopi vti à ſuperiori venientia poteſtate, iuxta Canonici iuris diſpoſitionem. Quod in primis conſtat ex Cap. Episcopus, citata diſtinct. 18. in quo ſic habetur ex Concilio Carthaginienſi 4. Cap. 16. Episcopus ad Synodum ire non tardet, ſi non ſatis grati neceſſitate inhibeat: ſic tamen vt in perſona ſua legatum mittat ſuſcepturus, (ſaluâ fidei veritate) quidquid Synodus

Poſſe ſtatuta condere, omnes Episcopos obligantia demonſtrantur.

Cap. Episcopus 18. diſtincta.

ſtatuerit. Sic ibi: cum ergo Episcopus non aſtans Concilio, quidquid ſtatutum fuerit, ſuſcipere teneatur: manifeſtum eſt Concilio inferiorem eſſe, à quo poteſt per ſtatuta ab eodem obligari.

162. Vt autem textus alios communis iuris omittam, iuuat maximè ex Concilio Tridentino rem iſtam aperte demonſtrare. In Cap. 2. citato ſic habetur. Episcopi, qui nulli Archiepiscopo ſubiunguntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cuius Synodo Prouinciali cum alijs intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent, ac obſeruati faciant; in reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia ſaluâ, atque integra manent. Hæc Concilium, ex quibus liquet Episcopos Concilij ſubiectos eſſe decretis; quandoquidem exempti ad illa tenentur. Pro quo & eſt declaratio Cardinalium ſic ſe habens: Præterea ad obſeruationem Decretorum Concilij Prouincialis omnes eſſe obligatos, qui Episcopali iuriſdictioni ſubduntur, atque item exemptos in caſibus, in quibus à iure communi, & Concilij decretis, ſpecialiter Episcopis, aut Concilio Prouinciali in ipſos poteſtas tributa eſt: contra inobedientes autem iuris remedijs eſſe procedendum. Sic Congregatio ex recognitione Ioannis Gallamert. Iuxta editionem Lugdunenſem Anni 1631. Vbi dici nequit poteſtatem Concilij ad omnes extendi, quatenus illius decreta vim habent à proprio Episcopo. Nam eo pacto res erat omnino indubitata, neque declaratione indigens: & ita ſolum pro Concilij iuriſdictione erga totam prouinciam, & ſubditos etiam exemptos, debuit declarari. Subditos namque exemptos debere parere Episcopo in iis, in quibus exempti non ſunt, omnino exploratum eſt: vbi & obſeruandum quod dicitur, Episcopis, aut Concilio Prouinciali. Eſt ergo vniuerſa Episcoporum, & Concilij Prouincialis poteſtas, & hæc ad multa ſe extendit, ad quæ Episcoporum poteſtas nequit extendi. Quot item ex Concilio oſtendi clare poteſt, dum poteſtates iſtas vt diſtinctas proponit, ſeſſione citata Cap. 18. vbi de concurſu ad Parochialia Beneficia loquitur, & inter alia ſic ait: Eſt Episcopo, aut Synodo Prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per editum publicum vocentur qui volent examinari: ſic ibi; eſt ergo diuerſa poteſtas Concilij, & ſingulorum Episcoporum in ordine ad ſtatuta.

Declaratio Cardinal.

Concilij verba.

Declaratio alia.

163. Pro quo & ſunt alia Cardinalium declarationes circa citatum Caput. 5. apud eundem: quarum prima ſic habet: non ſolum Episcopi tenentur eligere (Metropolitanum, cuius Synodo interſint) vt in hoc decreto; verum etiam prælati inferiores, qui hanc electionem liberam habent; licet eorum Capitula contradicerent; quia Capitula tenentur ad eandem obſeruantiã decretorum in Concilio Prouinciali conditorum, ſicut ipſi prælati eligentes. Secunda ita eſt. Capitula etiam exempta tenentur obſeruare Decreta in Synodo Prouinciali facta. Ex quibus dilucidè apparet iuriſdictionem Concilij diuerſam eſſe, quandoquidem Capitula ad obſeruantiã Decretorum tenentur, & non ratione immediatæ ſubiectiõis ad Prælatos, quæ cum eorum pugnare nequit exemptione; & quia Prælati ipſi pariter dicuntur ſubiecti. Tertia in hunc modum procedit. Et notandum, quòd Episcopus exemptus, qui Metropolitanum vicinum ſemel elegit, & eius Metropolitanæ Synodo interſuit, non poteſt ab eodem

Concilio deno aperta probatio.

Declaratio alia.

dem

dem Metropolitanò compelli, nec cogi ad conſtitutiones in ea Synodo editas obſeruandas. Sic Congregatio cenſuit, & hoc ratione exemptionis: nam Concilium loquitur tantum de intereſſentia, in reliquis verò ſeruat exemptionem Metropolitanorum. Sic Congregatio. Ex quibus ſit Episcopos non exemptos ad obſeruantiã poſſe compelli, cum non ſolum ad intereſſentiam teneantur.

Inter illas compugnantiã non eſſe.

164. Videntur autem prima, & ſecunda declaratio inter ſe pugnare: illa enim ait Prælatos exemptos ad obſeruantiã decretorum teneri quod tamen hæc negat, reddita ratione quia Concilium Tridentinum loquitur de intereſſentia, in reliquis autem ſeruat exemptionem: quòd pariter de alijs videtur accipiendum. Sed certè non ſunt inter ſe pugnantibus; vbi primò dicere aliquis poſſit non pugnare; quia prior de prælatiſ inferioribus loquitur, poſterior de Episcopis, quibus Concilium præter intereſſentiam, ſeruati in alijs exemptionem imperat: de alijs autem nihil ſtatuit. Sed perſtat difficultas; quia Concilium expreſſe determinat Episcopos exemptos debere ordinata ſeruare verbis illis: & quæ ibi ordinata fuerint obſeruent. Ergo quoad obſeruantiã nullo modo illis exemptio ſuffragatur. Habet tamen hoc aptam explicationem, per quam omnis repugnantia vmbra remouetur. Tenentur Episcopi ad obſeruantiã dictam, quòd negari nequit, cum ita ſit mens Concilij perſpecta; tenentur etiam diligenter curare vt obſeruentur, quòd & à Concilio præceptum. Tenentur item & inferiores alij Prælati: ſed neque illi, neque iſti poſſunt ad obſeruantiã cogi, & compelli. Eſt ergo in Concilio Prouinciali vis directiua, ſed non coercitiua, ſicut alibi ſæpè contingit, & in materia præſenti occurrit ſimile in Cap. Graue nimis, de Præbendis citato, in quo cum poteſtas tribuatur Prouinciali Concilio ad corrigendos prælatos, qui indignos ad Beneficia eligunt vique ad ſuſpenſionem, circa Metropolitanum delictum limitatio adhibetur, quòd ſcilicet nequeat illius correctio vique ad ſuſpenſionem tendere; non quia inferior non ſit, ſed ob præſtantiam dignitatis: inferiorem enim eſſe ex eo conſtat, quia ab eo ad Concilium poteſt appellari. Pro quo Abbas Hoſtienſis, & alij apud P. Sancium Lib. 8. de Matrimonio diſputat. 17. num. 36. Quòd autem correctio, immò & coactio in Concilio, ſine ſuſpenſione tamen, ſtare queat, conſtat ex Tridentino: ſeſſione 23. Cap. 18. de Reformatione in quo ſic dicitur: quòd ſi Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum Prælati in hac ſeminarij erectione, eiſque conſeruatiõne negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detreclauerint; Episcopum, Archiepiscopum, Archiepiscopum, & ſuperiores Synodus Prouincialis acriter corripere, & ad ſupra dicta cogere debeat. Et.

Teneri Episcopos ad ſtatuta, ſed non poſſe compelli, ſi exempti ſint.

Archiepiscopus qualiter coarctari poſſit ſicut & Episcopi Prouinciales.

Concilium Trident.

Ratio valida pro Aſſertione.

165. Atque ex hoc, & iuribus alijs indicatis, ac præſertim ex Cap. 5. ſeſſionis 24. Concilij Tridentini, alia inſtrui ratio poteſt: nam Concilium Prouinciale eſt ſuperius ſingulis Episcopis in ordine ad correctionem grauium delictorum, & alia, de quibus iura loquuntur, vnde eorum quolibet reſiſtente poteſt circa illius correctionem, quæ ſibi bene viſa fuerint ſtatueri: ergo & reſiſtente etiam poteſt ſtatutum aliquod legale condere, quòd ad prouinciam bonum videri expedire. Conſequentia conſtat: quia ex po-

teſtate dicta colligitur abſoluta iuriſdictione cum independentiã ſuffragio ſingulorum: ergo & talis etiam erit in ordine ad ſtatuta. Id quòd vrgo; nam Concilia prouincialia ex præcipuâ Eccleſiæ intentione ad commune bonum prouinciarum ordinantur, & minùs principaliter ad Episcoporum correctionem. Vnde Concilium Tridentinum Cap. 2. ſeſſionis 24. citato, ſines, propter quos Prouincialia ſolent congregari Concilia, proponens, ſic ait: Prouincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſis componendis, aliſque ex ſacris Canonibus permiſſis renouentur. Sic illud. Vbi de Prælatorum correctione nihil expreſſum, licet certum ſit ex ſacris Canonibus, etiam ad eorum correctionem ordinari. Sed quia id minùs principale eſt, idè non expreſſum, præcipuis alijs declaratis: Tunc vltra: Ergo in ordine ad principalem finem, pro quo ſtatuta eſſe poſſunt, nequit Concilium à ſingulorum ſententiã pendere. Patet illatio: nam eâ ratione commune bonum facile poſſet impediri, vt eſt perſpicuum: ſi enim viginti Episcopi circa rem aliquam conueniant, & vnus reſiſtat, nihil fiet: immò etſi plures.

Concilia Prouincialia non congregantur præcipue ob correctionem, ſed ob ſua alia.

Concilium idem.

Inſtantia efficitur.

P. Ioannes Perez, Monachus.

166. Vnde iam efficaciffimè inſto aduerſa illius; ac ſingularis ſententiæ fundamentum deſtruendo; ſcilicet ad ſtatuta cõdenda in Concilio Prouinciali omnium Episcoporum conſenſum requiri; cuius oppoſitum tenent Doctores de hoc agentes, & videri poſſunt ſpecialiter Cardinalis Tuſchus Tomo 2. Concluſione 554. & Stephanus Quaranta. V. Concilium Prouinciale n. 29. & 30. plures adducens vt certum ſtatuentes in Concilio Prouinciali ex maiori ſuffragiorum numero concludi, ſicut in alijs regulariter contingit. Sententiã enim illa quorundam neſcio quorum, de quâ P. Sancius ſupra aſſertum in Concilio Prouinciali ſolum Archiepiscopum habere ſuffragium decifionum, aboleta eſt, & improbabiliſ, licet vir doctus illius probabilitatem fundare conetur, ipſe communem ſententiã amplexus, quidquid enim nonnulli ex antiquioribus dixerint, contrarium inuiolabili eſt praxi firmatum. Quomodo autem Caput ſi Primus. Contrarium non ſtatuat, ex dicendis conſtabit.

S. VI.

Postrema reſolutio, & ſoluta obiectiones.

167. Dico ſecundò. Suppoſitâ communis, & fundatiſſimæ ſententiæ veritate; neque Episcopi; neque Archiepiscopus poſſunt pro libitu in lege Concilij diſpenſare, & ſi diſpenſent irrita eſt diſpenſatio: quia in lege ſuperioris. Pro quo ſpecialiter videndi P. Suarez, Cap. 15. citato. P. Thomas Sancius n. 36. & 37. P. Palauſ Tomo 1. Tract. 3. diſp. 6. puncto 4. n. 10. & 11. Bonacina Tom. 2. diſp. 1. quaſt. 2. puncto 1. n. 14. P. Salas diſputat. 8. de legibus Cap. 9. num. 48. P. Layman Lib. 1. Tract. 4. Cap. 22. num. 4. & Cap. 7. ſ. 3. num. 8. D. Villaroel Parte 1. quaſt. 4. Art. 2. Quin. 65. addit Archiepiscopum à Concilio poſſe excommunicari. Si autem iuſta ratio ſubſiſt, diſpenſare poſſunt, quia talis videtur Concilij eſſe voluntas, pro quo P. Suarez ſupra n. 7. P. Sancius

Aſſertio 2. Neque Episcopos, neque Archiepiscopos, neque Archiepiscopum poſſe validè in legibus Concilij Prouincialis pro libitu diſpenſare.

Secus ſi cauſa iuſta adſit.